TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

MALIGNIS TESTIS VITIIS:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS *RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS*,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES COX,

JAMAICENSIS;

COLL. REG. CHIR. LOND. SOC.

NECNON

SOCIETAT. REGIAE MEDICAE EDINENSIS SOCIUS EXTRAORD.

Like leaves on trees the race of man is found,
Now green in youth, now with'ring on the ground;
Another race the following spring supplies;
They fall successive, and successive rise:
So generations in their course decay;
So flourish these, when those are pass'd away.

Pope's Homer's Iliad, b. vi. l. 181.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXII.

PATRUO SUO

HENRICO COX,

S. P. D.

JOANNES COX.

Cui melius quam tibi, Patrue Carissime, qui perpetuo erga me patris munere functus es, studiorum primitias consacrem—exiguum quidem hoc est pietatis testimonium, sed, quod possum, praebeo, boni igitur consulos et credas me semper tibi ob innumera beneficia grato animo fore.—Vale.

VIRO EGREGIO

ANDRIAE FYFE, M.D.

SOC. REG. EDIN. SOC.

COLLEG. REG. CHIRURG. EDIN. SOCIO.

DE CHEMIA PRAELECTORI,

HOCCE TENTAMEN,

SINCERAE OBSERVANTIAE

PROPTER FAMAM IN ARTE INSIGNEM,

ANIMIQUE GRATI,

OB PLURIMA BENIGNITATIS ET AMICITIAE OFFICIA

QUAE CONTULIT,

PEREXIGUUM TESTIMONIUM

CONSECRAT

AUCTOR.

EDVARDO GRAINGER,

COLL. REG. CHIRURG. LOND. SOCIO.

DE ANATOMIA ET PHYSIOLOGIA

PRAELECTORI,

HAS PAGINAS

MORUM AESTIMATIONIS, INGENII ADMIRATIONIS

ANIMIQUE OB AMICITIAM GRATI

PERTENUE INDICIUM

OFFERT

AUCTOR.

Let not the hand of amity be nice,
Nor the soft tribute of the heart disdain ;
A trifle may become a pledge of price,
If friendship stamp it with its sacred name.

SHERIDAN.

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE
MALIGNIS TESTIS VITIIS.

AUCTORE JOANNE COX.

PRAEFANDA.

Varia vitia, quibus Testis corpus obnoxium est et rationes singulis medendi exponere haud parum difficilis est labor; neque ego hanc rem sine quadam mora ineo, quippe qui non modo video me vix posse propositum commode praestare, sed etiam, qui vereor ne propter brevitatem, qua necesse est ut haec mala diversa explicem, opinionibus meis parum intellectis, in crimen et reprehensiones incurram. Huic periculo tamen me objicere non recuso, cupio enim de re difficili, et quam cognoscere omnium in-

terest, ad lectores referre, eâ spe, ut multorum animis in eam intentis et eorum operâ in eâ positâ, ad eam perfectionem tandem perveniat, quantam per ejus naturam attingere liceat; quod paucorum studio minime effici potest.

Quum pleraque mala, de quibus dicturus sum, curationem manu postulent, optimum erit, uti opinor, imprimis de Testis et ejus involucrorum Anatomia breviter dicere. Commoda, quibus Chirurgus utitur a partium, quae laborant, notitiâ, neminem latere possunt: nam si reputamus integritatem et morbum alteram alteri stare contra, dubitare nequimus indagationem conditionis naturalis corporis, in qua altera ponitur, rectam esse viam ad alterius cognitionem attingendam. * "That Anatomy," auctor celeberrimus ait, "is the very basis of Surgery, every body allows. It is dissection alone that can teach us where we may cut the living body with freedom and dis-

---

* Lawrence.

" patch; where we may venture with great " circumspection and delicacy; and where " we must not, upon any account, attempt " it. This informs the head, gives dexterity " to the hand, and familiarizes the heart " with a sort of necessary inhumanity, the " use of cutting instruments upon our fel- " low creatures."

Supervacuum autem esset commoda fusius persequi, quae, in arte salutifera, Anatomia manu culta secum affert. Subjiciendum tamen est prius quam haec praefanda ad finem perducam, quod quidem ad moralia spectat, hominis fabricam, originem, lentam ejus facultatum evolutionem quae rationi inserviunt, vinculum, quo illa inter animum et corpus concordia conservatur, modos quibus illud oleum vitale alitur, et denique deficientes paulatim corporis animique vires, illas mutationes, quae tam manifeste tamque certo eveniunt, duram illam necessitatem quam ut cuncti subeant necesse est, mentem hominum impulisse, ineunti etiam studii literarum aetate, ad co-

gitationes perquam profundas atque eam insigni cum voluptate in conjecturarum ambages rapuisse. Antiquorum Mythologia, quantum ad hanc rem attinet, pulcherrima profecto est—sed ubi HESIODI opera evolvimus et notiones, quae in mentem PLATONIS et SOCRATIS venerunt et opinionem clari TULLII reputamus de humanae naturae immortalitate, quam illi a corporis compaginis fabricâ collegerunt, ad coelestia cogitationes nostrae ascendunt, et tandem ad illam magnam rerum causam primam quam tam justè depinxit HORATIUS :

> Qui mare et terras, variisque mundum
> Temperat horis :

Quum haec praefatus essem de necessitate operam in anatomiae studio ponendi, siquis velit totam corporis animalis curam suscipere, deque pulchritudine earum cogitationum, quas in hominis natura immortali contemplanda illa suggerit, jam lectorum attentionem desidero ad rem hujus disputationis propositam, ad morbos nempe, qui ipsum testem infestant.

DE TESTIS DECENSU.

In foetu Testis situs in ventre, proximè sub rene, musculo psoâ nititur, et parte anteriore et lateribus peritonaeo obtectus est, quod tunicam ejus propriam sive tunicam albugineam contingens postea tunica vaginalis Testis fit. Hoc tempore laxus peritonaei sacculus contra annulum abdominis interiorem reperitur, et chorda quoque a parte Testis inferiori tendere conspicitur pone peritonaeum per inguinis canalem usque ad imum scrotum: haec Testis gubernaculum cognominatur et Testis iter designat, auctore clarissimo J. Hunter, ubi postea descendat. Arteria spermatica et vena breves sunt et extrorsum prope in plano Testem petunt, et vas quidem deferens ad eum a pelvi ascendit. Testis, ubi descendit, ad canalem inguinis appropinquat, descensu pone peritonaeum facto: per hunc inguinis canalem transmittitur, pone peri-

tonaei sacculum jam explicatum et scrotum ingreditur. Tum hic sacculus in longum super eum porrectus tunicam vaginalem reflexam efficit. Gubernaculum interea contrahitur et tandem ex toto evanescit. Quum jam ad scrotum pervenisset, Testis cum aliis partibus per funiculum spermaticum communicat, qui, non secus ac Testis, duobus peritonaei stratis obtecta est, quamvis revera pone utrumque posita est. Vasorum situs nunc insigniter mutatus est; namque arteria, vena et vas deferens pariter per inguinis canalem ad Testem descendunt. Tota haec mutatio plerumque ante foetum in lucem editum perficitur: non desunt tamen exempla, ubi aliter res evenit. Sic quidam celebrem Anatomiae Professorem Londini consulebat ob tumorem in inguine, qui ab altero chirurgo, quasi hernia, curatus erat. Ex ea autem curatione, quum aegrotus res potius in pejus cedere quam restitui sanitatem reperisset, ad amicum meum venit, qui, explorato scroto, comperit homini unum tantum Testem ibi esse, dein alterum in

inguinis canali manifeste percepit, qui propter taxin saepius ante adhibitam in inflammationem abierat, ita ut hernia humoralis urgeret.

Portiones duae peritonaei, quae funiculum tamdiu per canalem inguinis transit, et pene usque ad Testis corpus obtegunt, cito inter se junctae sunt et iter inter cavum tunicae vaginalis et peritonaei obcaecant, post aliquod tempus hae duae portiones ita simul junctae plerumque absorptae sunt, et hinc in adulto homine raro ullum peritonaei sive tunicae vaginalis vestigium in funiculo conspicitur. Siquando haec duo strata non coalescunt, necesse est ut iter sit per canalem inguinis inter tunicae vaginalis et peritonaei cavum. Res ita se habet in hernia congenita, quâ urgente, intestinum in tunicae vaginalis cavum descendit. Aliquando peritonaei processus, qui funiculum obtegunt, a parte superiori et inferiori inter se committuntur, sed non per totum canalis inguinis cursum, nec ad partem scroti superiorem adhaerent; ex qua structura humor

aliquando inter eos colligitur et hydrocele cystata sive hydrocele funiculi oritur.

DE TESTE ET EJUS INVOLUCRIS.

De Scroto.—Nihil aliud scrotum est quam sacculus ex integumentis corporis communibus formatus, qui a pube procedit, et integumentis penis, femorum et perinaei continuatus est: in parte media scrotum divisum est, ut fertur, linea paulum elevata simul ad anteriorem simul posteriorem partem, quae linea nomen Raphen habet. A fraeno praeputii initium ducit, per partem penis inferiorem tendit, et, per scrotum et perinaeum, anum petit. Sub scroti integumentis aliquid laxae telae cellulosae est, quae, quum rubra sit, fibrarum aspectum ostendat, et contractionis vi pollere putetur, pro musculo habita est, et nomen *Darton* accepit: contra Raphen tela cellulosa condensata septum discretum efficit, quo scrotum in duas partes aequales diducitur. In hoc septo re-

muli haud parvi a vasis pudicis orti impensi sunt. Scroto arteria pudica externa aliaque vicina vasa sanguinem suppeditant. Ad partem ejus anteriorem, a nervis lumbi, ramuli adeunt, ad posteriorem, a sciatico nervo et cutaneo posteriori superiori, ramuli exiguntur. Ex lymphaticis pleraque in glandulas inguinis desinunt, sed alia, simul cum Testis lymphaticis, ad glandulas lumbi tendunt. Exsectis scroti integumentis, fascia superior continuata in conspectum venit et, sub ea, aliquae musculi cremasteris fibrae videntur. His ferro submotis, pars exterior tunicae vaginalis reflexae oculis fit obviam, quae aspera et cellulosa laxe cingit testem ; eâ persectâ, polita ejus pars interior conspicitur, et tum videre licet eandem membranam ita procedere, ut Testem arcte circundet, et Testis fieri tunicam vaginalem. Leves harum laminarum superficies invicem contrà disponuntur et tenui sero lubricantur. Laminâ exteriore tunicae vaginalis persectâ, Testes tandem in conspectum dantur. Hae glandulae oblique in scroto posi-

tae sunt ita ut fines earum superiores aliquanto antrorsum et sursum, fines oppositi retrorsum et deorsum spectent. Sinister Testis, quam dexter, inferior est. Sectione quoque quam indicavi, epididymis in aperto ponitur: ad exteriorem et posteriorem corporis Testis partem sita est, et per totam ejus longitudinem tenet et orae ejus adaptatur : inter eam tamen et Testis corpus fissura relicta est. Pars epididymidis superior aliquando supra Testem eminet, sese expandit, et globus major fit. Alia plerumque pars ampliata infra est, quae globus minor nominatur ; a parte inferiore in vas deferens desinit. Praeter tunicam vaginalem Testi est tunica propria, cui nomen tunica albuginea impositum est : ea firma et tendinosa arctissime tunicae vaginali adhaeret, ex quo hanc esse credere imperito facile est. Epididymidis integumenta eadem ac Testis sunt.

De Testis Structura.—Testi figura ovata est, quae paullo amplior supra quam infra est, et pars ejus latissima in medio. Tunicis

exsectis, conspicere licet Testem ex innumeris tubulis exiguis (tubulis nempe seminiferis) constare; hi stratis disponuntur inter filamenta tendinosa, quibus *septa* nomen est, quae, cum a parte tunicae albugineae posteriori processerunt, antrorsum ad partem ejusdem membranae anteriorem, via semicirculari, tendunt. Tubuli in plurimos orbes inter septa volvuntur et dum partem posteriorem petunt, vasa recta appellantur. Quum ad partem posteriorem contra epididymida pervenissent inter se libere communicant et quoddam retis genus efficiunt, quod rete Testis cognominatur: e reti tubuli duodecim sexdecimve ad globum epididymidis majorem exiguntur, quibus nomen *Vasa Efferentia* est: duo quoque pluresve ad globum minorem adeunt. In epididymide tubuli iterum admodum se convolutant; tandem autem in unum coeunt, quo vas deferens formetur. Quanquam, corpore Testis patefacto, tubuli soli plane conspiciuntur, intelligendum tamen est ra-

mulos quoque arteriarum, venarum, absorbentium vasorum aliaque partem Testis et epididymidis efficere.

De Testis Vasis.—Praecipuae arteriae sunt spermaticae: hae initium ducunt a parte aortae anteriore inter arteriam renalem et mesentericam inferiorem et inter se diductae per musculum Psoan decurrunt, et, trajecto uretere, ad annulum abdominis interiorem perveniunt: dein, per inguinis canales, Testes petunt, et tortuosae in tunicam albugineam impenduntur et in ipsum Testem ramulos exigunt. Praeter arteriam spermaticam ramulus ab iliaca interna et saepe alter ab epigastrica vas deferens comitantur et simul cum praecipua arteria distribuuntur. Venae his respondent et a tunica albuginea incipiunt. Hae venae quam arteriae ampliores sunt et solae, ex venis abdominis, valvulis instructae sunt. Plexum formant qui corpus pampiniforme appellatum utroque arteriae latere tendit, donec eo

pervenerit, ut contra partem renis inferiorem sit, dein utroque latere truncus efficitur, qui, ad dextram, in venam cavam, ad sinistram, in venam ejus lateris emulgentem desinit.

De Nervis Testis.—Nervi Testis e plexu spermatico externo oriuntur. Ille a renali plexu et aortico nascitur; hic a nervo lumbi secundo ortum trahit: idem musculum psoan perforat dein super eum musculum ad annulum abdominis interiorem. Alter ramulus a parte vasorum femoris exteriori, infra ligamentum Poupartii, integumenta partis femoris interioris petit, alter, simul cum plexu spermatico, funiculum ad Testes comitatur.

De Funiculi Spermatici Formatione.—Funiculus spermaticus ex arteria et venis, plexu nervorum spermatico, lymphaticis et vase deferenti inter se tela cellulosa commissis conflatus est, et ab annulo interiore ad Testis corpus pertinet. In decursu

eum obtegunt integumenta corporis communia, tendines musculi externi obliqui, interni obliqui et transversalis, nec non musculus cremaster, qui ei arcte adhaeret. Ad haec, iisdem peritonaei processibus obducitur, qui tunicam Testis vaginalem effecerunt, qui tamen hic loci aut absorpti sunt aut usque eo cum funiculo conjuncti, ut ejus pars esse videantur.

De Vasis Deferentis Cursu.—A parte funiculi spermatici posteriore ad annulum abdominis exteriorem vas deferens ascendit. Simul cum funiculo quoque per canalem inguinis trajicitur, dein eum relinquit, musculum psoan transit et in pelvin defertur. Eo descensu tendit inter arteriam ejusdem lateris umbilicalem et item inter uretera et vesicam dein a parte vesicularum seminalium interiore ad urethram prostaticam, ubi, ductu ei cum vesiculis seminalibus communi ad latus verumontani sive capitis Gallinaginis tandem finitur.

DE TESTIS CARCINOMATE MOLLI SIVE TESTE FUNGOIDEO SEU PULPOSO.

Hoc malum non nisi intra paucos hinc annos scienter expositum est, quippe quod antea pro carcinomate plerumque haberetur; praesertim a Chirurgis Gallicis; et ille Roux quidem adhuc contendit haec mala ejusdem naturae esse. Fungum Haematoden celeberrimus Burns Glasguae primus Medicis bene notum fecit, dein auctores Clar: Hey Leedensis, Freer Birminghamiae et J. Wardrop quaedam de iisdem in lucem ediderunt et eorum quisque nomen diversum ei imposuit, quod quidem minus confert ad naturam morbi aperiendam quam ad obscuram reddendam: Nihilosecius tamen horum singuli extra omne dubium evicerunt morbum proprie discretum esse a Carcinomate et ab omnibus aliis malis, quae in Nosologiis Sys-

tematicis exponuntur, non modo quantum ad originem, continuationem et indicia ejus sed structurae mutationem aliaque quae, secto cadavere, conspiciuntur. Ex tristissimis forte malis est, quibus corpus humanum obnoxium est, quia nulla medendi via, qua confidere liceat, cognita est praeter ferro curationem, quae non est utilis, nisi eo tempore, quo difficilimum est aegrotanti persuadere ut eam subeat. Ubi quidem homo castratus est primis mali temporibus, raro non in aliqua alia corporis parte invadit.

Experientia enim docuit malum in toto corpore, potius quam in parte tantummodo poni; et hepar, pulmonem, renes, cerebrum aliasque partes simul eodem implicari posse. Fungus Haematodes longe frequentius quam scirrhus infestat. Incipit, auctore clarissimo Baronetto Astley Cooper, in corpore Testis, ad epididymida celeriter tendit, dein per funiculum spermaticum in ventrem pervenit et tumorem magnum sub rene efficit, Ille hoc malum eo modo totum ejus decursum tredecim hebdomadis

perficere vidit. *Juvenes* occupat quavis aetate postquam pubes venit. Et profecto celeb. CLINE idem in puero quinque annos nato conspexit. Inter initia nullus dolor urget, sed, ubi tumor in magnum increvit, dolor accedit: Scrotum immutatum manet, nec ulla Testis inaequalitas aut durities detegitur; procedente autem vitio, haec glandula in ingentem molem augetur, sed adhuc Testis figuram aliquatenus ostendit. Tum difficillimum est eum ab Epididymide internoscere; sensum elasticum quasi panis fermenti et quodammodo fluctuantis humoris praebet. Vasa sanguine turgent sicut in Teste cystato, a quo malo non nisi totius corporis affectione discernendus est, Scrotum fusco-rubri coloris est, in ulcerationem abit et humorem sanguineum effundit, qui maxime foetet, aliis temporibus sanguis copiose profluit, sed nullus exsurgit fungus. Celeb. WARDROP dicit, se non reperisse inquirendo integumenta, quae Scrotum efficiunt, in ullo exemplo cessisse et fungum e Teste vitioso excrevisse. Funiculus spermaticus

crassior fit et glandulae inguinis tument, ex quo cutis, quae eas obtegit, inflammatur dein ulceratur ita ut portiones glandularum demittantur, et cute minus tensâ factâ, ulcus sanescit, caro crescit et cicatrix inducitur: sed serius citiusve idem accidit in aliis glandulis aut ejusdem aut alterius lateris et, infirmitate hinc ortâ, totum corpus se male habet, quod testantur pulsus celeres debilesque, sitis importuna, jactatio, appetitûs defectio, male sanus aspectus huic vitio proprius, cutis pallida flavo-viridi colore, quae saepe sudore viscido tegitur, assidua et molestissima tussis, spiritûs difficultas et ita, increscente morbo, miser tandem extinguitur.

Secto corpore, tumor reperitur ex materia molli effici, quae lactis cremorem refert, quasi uncta videtur et plerumque subfusco colore est; aliquando rubrior est et septa habet, quae eum in cellulas diducit, in quibus continetur materia, quae lactis cremorem cum mixto sanguine refert: aliae partes firmitatem solitam polyporum aut jecinoris aequant, aliae repertae fuerunt cartilagino-

sae, spiculis osseis in cartilagine inventis. Massâ vitiosâ in aquam demissâ, nonnullae ex ejus partibus in ea facile solvuntur, relictis sacculis ex membrana factis, in quibus materia mollis contenta erat. In plerisque exemplis tunica albuginea et vaginalis arcte adhaerescunt, in aliis manent diductae, parte, quae intervenit, lymphâ *coagulatâ* completâ. Glandulae absorbentes, ubi malo implicantur, scrutanti eandem ostendunt structuram, quae, ut jam posui, morbo in aliis partibus primò urgente, conspicitur. * "In those "cases," ait celeb. WARDROP, "which I have "had an opportunity of dissecting, I have "never been able to detect any change in "the structure of the *spermatic cord*, or been "able satisfactorily to account for the pecu-"liar fulness which I have observed to take "place in it during life." Ex iis autem, quae Clar. Eques ASTLEY COOPER conspexit in sectione funiculi spermatici hominis hoc

---

* WARDROP on Fungus Haematodes, chap. IV. p. 133.

morbo interempti, cujus historia in illo opere, " Medical Records and Researches" traditur, haud incredibile videtur, tumorem a vasis absorbentibus vitio affectis oriri posse.

Fieri potest ut Fungus Haematodes cum Testis hydatidis et scirrho confundatur: ita quoque erratum est, ut is pro hydrocele habitus sit, ex quo ferro perforatus est : quatuor exempla hujusmodi celeb. WARDROP videbantur: aliud quoque celeb. LAWRENCE memoriae tradidit in eo opere, cui titulus est, " Medico-Chirurgical Transactions, in " tomo iij." A primo horum morborum non nisi totius corporis conditione supra explicata internosci potest. Inter eum et scirrhum id discrimen est quod scirrhus ab initio durus, firmus, qui comprimi nequit, quodque lentius increscit, et ex duobus substantiis constat, quarum altera indurata et fibrosa est, altera mollis nec organis instructa. Materia fibrosa maxime abundat et ex septis constat, quae minus coloratae sunt, quam materia mollis, quae inter ea

ponitur. Tempora vitae, quibus haec mala incidunt, diversa sunt, alterum enim juvenes infestat, alterum aetatem provectam premit. Interdum sed non semper e scirrho, ubi exulceratur, durus exsurgit fungus, qui tandem ulceratione exeditur: praeterea ulcera a carcinomate orta haud raro ad cicatricem spectant—Clarissimus Eques E. HOME quidem cutem tenuem in ora ulceris a carcinomate orti habet pro mali nota, quae minime saepe fallit. Haec mutatio tamen fallax est, nam serius citius ulceratio iterum incipit, nec se intermittens procedit. Contra Fungus Haematodes, inter initia, tumor mollis, resiliens, quasi circumscriptus, et pressus sensum contenti humoris impertit. Id, quod tumor continet, adeo non durum est, ut plerumque structuram mollem pulpae similem et medullarem habeat, et facile cum aqua miscetur et, infusis acidis, durescit. Ubi in ulcerationem abit, tumor non decrescit, sicut in scirrho, sed eo magis usque augetur. Ubi carcinoma partes corporis exteriores occupat, viscera raro in malum

simul trahuntur; sed in plerisque fungi haematodis exemplis, variae ejusdem corporis partes eo malo laborant: ultimum malum, quod opus est ut a Fungo Haematode Testis distinguamus, Hydrocele est, quod difficillimum nec tamen minus saepe necessarium. Primo aspectu aliquis censeat licere scire malum non Hydrocelen esse, si tumor non pellucidus est. Sed quum humor, qui intra tunicam vaginalem coacervetur saepe nigrescit aut etiam sanguis sit, et quum haec tunica frequenter haud parum crassior facta sit, minime judicare fas est morbum non Hydrocelen esse, quia tumor non pellucidus sit. In Hydrocele humor colligi incipit ad imum scrotum, et Testis plerumque percipi potest ad partem posteriorem, usque dum tumor in magnum crevit, tumor quoque abdomen versus plane circumscriptus apparet: contra in Fungo Haematode malum in Testis corpore initium facit, quod paulatim usque increscit, dein funiculus spermaticus, tum, malo per eum serpente, inguinis glandulae impli-

cantur, quae in ingentem molem augentur. Neque tumoris pondus non aliquid confert ad hunc morbum notandum, quod profecto a Hydroceles ejusdem molis pondere haud parum distat.

Jam de natura hujus mali tristis abunde, sicut opinor, dixi, ut ejus descriptio satis ampla videatur. De curatione haud multum proferre possum; nullum enim remedium notum est, quod quidquam, ut sistatur malum, confert, et nihil est quare credamus unquam fore ut aliquid levaminis, multo minus ut sanitas sponte afferatur.

Volo quoque lectores monere nullam spem sanitatis subesse nisi in eo ut cito ad ferrum confugiatur. Nam si ea curatio dilata fuerit, donec malum funiculum spermaticum occupaverit, desperandum esse censeo. Quod si incidit, et inguinis glandulae item afficiuntur, Chirurgus, qui minus tentat, melius facit—aeger enim procul dubio ad mortem festinat.

DE TESTIS SCIRRHO.

Hoc malum sicut multa alia vitia, ubi hae glandulae indurescunt et mole augentur simul ab antiquioribus, simul a recentioribus sub nomine sarcocele recensitum est, idque sive malum fuerit tumor simplex, vetustus, et lentus, quem nulla indicia specificae, quod dicunt, aut malignae actionis comitatur, sive strumosus fuerit sive, quod adhuc magis diversum est, magisque periculosum, malum fungoidei generis fuerit. Nihil commodi posse oriri ab usu hujus vocabuli Sarcoceles parum definito sed omne utile inter morbos discrimen ita tolli, facile in aperto est. Ubi de erroris et fallaciae causis loquimur, quae ab ambiguo verborum usu oritur, indicandum est quod GULLIFER commode dixit, nos non cogitare posse nisi per verba, et primum gradum ad rationalem scientiam consequendam esse ut verbis definitis utamur in notionibus, quae in mentem veniant, exponendis.

Non ignoro celeb. POTT aliosque plures censere omne sarcocelis genus ad id tendere ut in scirrhum et verum carcinoma sese vertat, ideoque has conditiones non nisi alia ejusdem morbi tempora esse. Inter viros peritissimos quidem eosque qui animum diligentissime ad hanc rem intenderunt, constat sarcocelem lentam, qualis incidere vulgo solet, sive simplicem Testis tumorem carnosum posse in morbum malignum, quod scirrhum vel carcinoma appellunt, abire. Attamen minime patet fieri posse ut omne malum, quod sub nomine sarcocele comprehendatur, scirrhi aut carcinomatis naturam indicat. Sat est autem dixisse tumorem Testis fungoideum ab initio usque ad finem eandem habere indolem nec ulla mutatione cujuscunque sit, in scirrhum aut carcinoma converti posse. Neque tumores hujus organi strumosi unquam ita mutantur ut eos pro scirrho aut carcinomate recte habere liceat. Nolo in hocce tentamine controversiam movere utrum carcinoma malum haereditarium an locale sit, utrum malignius in

aliis locis, mitius in aliis: et animus pariter et tempus deest ut recenseam diversas curandi rationes, quae alii aliis temporibus ad submovendum hunc morbum protulerunt. Nihil aliud cogito quam ut exponam indicia notasque quae sese ostendunt, quoties carcinoma Testi insederit. Profitendum autem est me opinioni clar. POTT et celeberrimi Chirurgi hodierni accedere, quum putent vix fieri posse ut vir, qui infelix hoc malo laboret, ad sanitatem ullo modo perducatur, nisi pars vitiosa ferro abscindatur, et eum per tantum spatium, quantum curatio manu differtur, partem gerere, quae non modo inutilis, sed onerosa est, et quae in dies cedat in pejus, ita ut ferrum tandem nihil proficiat. Quod jam dictum est, sententia nuperi egregii viri Doctoris ALEXANDRI MONRO confirmat,* qui censebat carcinoma rarissime resolvi; quum autem vi-

* Edinburgh Medical Essays, Vol. V. Art. 32. p. 347.

disset duo exempla hujusmodi mali sanata esse aut certe quae ille ejus naturae esse credebat, noluit omnino negare fieri posse ut integritas sine ferro redderetur. Exponam autem, quantum in me est, ea signa, quibus scire liceat, quando verisimile sit curationem manu profuturam esse, quando ea non tentanda sit, quia non modo profectu vacabit sed miseri interitum maturabit. Scirrhus, qui in carcinoma degenerat, rarum est malum. Dicitur afferri plagis contusionibus aliisque similibus, sed in multis exemplis nulla evidens causa est, quae partem ipsam affecit. In viris a quinquagesimo ad septuagesimo aetatis annum incidit; rarrissime citius infestat, siquando tamen juvenem invaserit, longe celerius, ut fertur, procedit, quam in viris aetate provectis. Corporis natura, etiamsi haec res non satis intelligitur, magnam efficit varietatem, cursus mali quoque dicitur plurimum accelerari, loco ubi degit aeger, vitae ratione, diaeta, alienis impositis et animi motibus qui dolorem moveant:

hinc recens auctor * scripsit virum, cujus filia admodum dilecta casu interempta erat, intra paucos dies tumoribus carcinoma habentibus per totum corpus affectum esse, ex quibus miserabiliter cruciatus periit. Hic morbus in Testis corpore incipit, ex quo durities quasi marmoris oritur, tarde per glandulam serpens epididymida occupat, primo ad partem anteriorem, et, aliquot hebdomadis aut mensibus elapsis, funiculus implicatur, tuberculis scirrhosis ibi ortis, dein glandulae inguinis proxime sub arteriis emulgentibus ; aliquando tamen in morbum prius trahuntur, quam funiculus : hoc mali tempore partes extremae plerumque tument, non oedemate afficiuntur, sed effusione quae magnam efficit duritiem. Dolor, qui prius levis fuerat, acutus fit et lancinat et in dorsum surgit, ex quo positum est notam carcinomati propriam esse non do-

* Alibert Nosologie Naturelle, &c. p. 557., fol. Paris, 1817.

lorem acutum movere, nisi ad certam conditionem processit, non secus atque eidem peculiare esse quasdam fabricas corporis occupare. Scrotum corrugatum fit, subflavum, plumbeum colorem ostendit, aridum et squamosum est, venae, quae vicinae sunt, varice afficiuntur, et scroti partes nonnullae in inflammationem, dein in ulcerationem abeunt et tenuis effunditur sanies, quae irritat: ardoris sensus per totam partem ulceratam est, qui ex omnibus indiciis maxime cruciat: de hoc malo Clarissimus POTT ita scriptum reliquit. * "Sometimes the fury "of the disease brooks no restraint; but, "making its way through all the membranes "which envelop the testicle, it either pro-"duces a large, foul, stinking, phagedenic "ulcer with hard and unequal edges, or it "thrusts forth a painful gleeting fungus, "subject to frequent hemorrhage." "* This

---

* POTT's Chirurgical Works, Vol. II. p. 390. edit. by Earle, 1808.

* ABERNETHY's Surgical Observations, p. 72.

"diseased fungus occasionally even cicatri-"zes. But though the actions of the dis-"ease are thus mitigated, though they may "be for some time indolent and stationary, "they never cease, nor does the part ever "become healthy." Cunctae partes, quae in vehementem hujus morbi actionem trahuntur, communiter vitae organa perdunt et cito omnia earum vestigia omnino pereunt. Vasa sanguifera prae caeteris partibus vehementius edaci carcinomatis naturae repugnant; arteriae enim ultimae plerumque hoc malo delentur. Celebres BOYLE et CAYOL testantur se vidisse haec vasa denudata et a partibus, quibus committi solent, sejuncta in medio hujusmodi ulcere per longum spatium ita perstare, inter quod tempus ceterae partes haud parva celeritate periebant. Sanguinis vero profluvia, quae haud raro in ultimis hujusmodi mali oriuntur docent, ut opinor, vasa sanguifera non prorsus hujus vitii immunitatem habere. Antequam morbus hucusque processit, concoctio ciborum male perficitur, miser cibos fastidit, et mini-

mum, quod sumit, evomit. Contra tamen nonnullis appetitus vorax ad ultimum manet. Nutrimenti defectu admodum homo marcet, vultus pallet et luridus est et ad anasarcam proclivitas sese ostendit; quidam tamen auctores sunt id non evenire nisi carcinoma organum infestet, quale membrana serosa obtegitur. Spiritus laborat, et tussis vexat, quae, ut quidam ferunt, a glandulis intra Thoracem sitis vitio affectis, movetur: Clarissimus ABERNETHY eas nunquam adeo vitiosas conspexit, ut hunc effectum praestare possent: quondam credebat harum vitium potuisse ad eundem conferre, quum nervos thoracem intrantes premerent: recentius tamen haud dubitat quin spiritûs difficultas a vitio jecoris oriatur, quod raro non incidit in ultimis carcinomatis temporibus.

Secretiones plurimum perturbantur, quod alvus perpetuo fusa indicat: et mutationes evidentes, quas secretiones bilis et urinae subeunt, somni defectus simul universam infirmitatem afferunt, quibus febris hectica adjicitur, quae simul ac venit nova mala ex-

citat, ita ut morbus passibus magis longis ad mortiferam ejus finem properat. Mentis facultates manent immutatae, sed aliquando miser tristis ipsius conditionis inscius evadit. Nulla ratio, quam medendi scientia suggerere potest, nunc valet aut partem laborantem aut aegri vitam conservare. * "Hence, ait Clar. COOPER, "that surgeon acts "with prudence, who recommends an early "extirpation of every testis that is incu- "rably diseased, and entirely deprived "of its original organization." Rerum, "sub quibus curatio manu aut expedit aut non, duo sunt genera, quae spectant aut ad habitum aegri generalem et mala vitiaque quorundam ex visceribus, aut ad Testis et funiculi spermatici conditionem. Si vultus luridus pallet, iis quibus non solet, si appetitus deficit, si macies est, si febris hectica urget, si dolor importunus dorsum et ventrem exercet, si corporis constitutio

---

* COOPER's First Lines of the Practice of Surgery, Vol. II. p. 129.

intemperantiâ et pravitate vitae ante laesa fuit, quam hic morbus accedit, si jecur induratum est cum tumoribus ei aut spleni, renibus aut mesenterio vicinis et membrorum aqua intercutem, viri parum apti sunt, qui castrationem ferro subeant: denique quoties indicia sunt, quae fidem faciant quodvis ex praecipuis visceribus vitiis laborare, hujus curationis exitus incertus erit. Ubi haec nulla urgent animum ad Testem et funiculum spermaticum intendere oportet. Vix fieri potest ut ulla Testis solius conditio curationem ferro vetet. Funiculum maxime animadvertendum est: si is sanus est, adhibendum est ferrum, quaecunque sit Testis conditio. Quoties vasa spermatica non solum turgent et aucta sunt sed dura nodosa et quae comprimi nequeant, quoties membrana, quae ea obducit, naturalem ejus levem, mollem, cellularem fabricam perdidit, et in eam conditionem pervenit et ita adhaerescit, ut non modo augeatur mole sed inaequalis, nodosa et tactu dolens facta sit, et haec conditio totum fu-

niculum ab annulo exteriori abdominis ad Testem pervadit, curatio manu non modo aliena sed perniciosa esset. Ubi post mortem aut partem ferro submotam, tumor ex carcinomate ortus secatur, pars media dura et compacta reperitur nec cartilaginis crassitudini absimilis; ex hoc nucleo clavi angusti ligamentosi ad exteriorem partem, non secus ac radii a centro, tendunt. Parte accuratius exploratâ, lineae transversae minus coloratae in conspectum dantur, quae quasi rete efficiunt, in maculis cujus alia substantia posita est, quae minus ad oram exteriorem compacta est. Quoties tumor longius processit, pars media non distincta est, ora externa magis finitur, a vicina glandula discreta est, et ligamentosi clavi valde in aperto sunt varie dispositi, sed non eum cursum habent, ut repeti possint: cavum exiguum inaequale in centro formari reperietur in quo humor sanguineus continetur: foraminis orae ulceratae, serratae, et spongiosae sunt ultra quas clavi ligamentosi, radios referentes, videntur, qui dima-

nant versus circumeuntem lineam, ubi materia magis firma est, et ex portionibus distinctis constat, quarum singulae centrum habent, circulis concentricis ex clavis ligamentosis conformatis circundatum.

Hae sunt res, quae, ut mihi videtur, praecipue carcinoma insigniunt. Quod dixi breve est et vereor ne imperfectum habeatur quoniam multa eo praetermisi, quod non mihi in animo erat quicquam de carcinomate proponere quod non ad Testem spectaret.

DE TESTIS HYDATIDIBUS.

Hic morbus, de quo acturus sum, cellulosa species est, ubi mucus, sive humor continetur. Viri inter aetatis annum decimum octavum et trigesimum, et, quod ad cetera attinet, sanos, vexat, et in parte tantummodo poni videtur. Incipit in epididymide ad partem plerumque superiorem, et inde paulatim ad funiculum spermaticum ten-

dit, sed eum non afficit; dein morbus ad Testem serpit, qui tumet et sensum fluctuantis humoris imperfectum imprimit, postea augendus. Dolor non est nisi quando partes ejus mole distenduntur. Venae funiculi spermatici varice tandem afficiuntur, et scroti vasa augentur quamvis id non inflammatur; neque a parte exteriore aut rubrum est aut rubescit. Hoc malum non malignum aut periculosum est et nunquam ad inguen aut in ventrem procedit. Tantummodo necesse est ut Testis submoveatur, ob molem, quam attigit. Teste et epididymide persectis videre licet ea constare ex innumeris cystis, quae a magnitudine pisi ad nucem moschatam variant: continent nihil nisi mucum gelatinosum et viscidum: sed siquando morbus diutius processit, pus imperfectum, et aliquando subflavus humor pellucidus reperitur: cellulae vasculis refertae sunt; hinc post curationem manu sanguinis profusio frequens oritur. Sensus fluctuantis humoris et multa alia indicia parum jure fidem facere possunt, hydroce-

len urgere : sed notae quibus haec mala internoscuntur, talia sunt. In Teste hydatidoso fluctuantis humoris sensus non per totum percipitur tumorem, sed uni parti continetur : praeterea Testis hoc morbo affectus cedit, sicut panis fermentum, anasarcae haud absimilis : magis ponderosus quoque est et fabricâ solidior : plura vasa in funiculo et scroto conspiciuntur et hoc non ita facile per tunicam vaginalem movetur : figura Testis plerumque, non tamen perpetuo, servatur, et, tumore presso, sensus Testis compressi percipitur : Epididymis fere distinguendus est, quum foveola, sicut sanis partibus, eam inter et Testem existit : admota candela pellucidus esse non ostenditur. Nihilominus vero commodum, ut nihil restet dubii, lanceola partem incidere antequam ad curationem manu confugiendum est, et si nullus humor effertur, morbi natura plane patebit. Nulla curatio per medicamenta, auctore Equite Astley Cooper, quidquam proficit : submotâ parte affectâ, in nullo alio loco rediturus est morbus.

DE CASTRATIONE.

Abradatur pubes; incidatur cutis ab annulo abdominis exteriori ad imum scrotum; si id factum est, cautum est ne humor coacervetur, ex quo multum morae postea curationi crearetur: si incisio non prius lanceolâ facta est, caute tunicam vaginalem persecato ut scias si quid humoris ibi continetur: dein funiculum spermaticum denuda ad annulum exteriorem, et, si is induratus fuerit, seca ad pollicem altius in canali inguinis: quo peracto trajice acu cum ligatura per funiculum, curâ adhibitâ ut vas deferens excludatur, quod facile ad partem funiculi posteriorem propria duritie agnoscendum est, dein persecetur funiculus, ministro jusso partem ejus superiorem sursum annulum versus trahere; hoc modo omnis sanguinis profusio compescitur. Testis facile sejungitur, sed cavendum est ne scroti septum laedatur aciem ferri ad tumorem inclinando.

Ut tres arteriae ligentur perpetuo necesse est, spermatica, nempe, arteria vasis deferentis, et epigastricae arteriae ramus: aliquando etiam scroti vasa eousque aucta sunt, ut ea item liganda sint. Teste submoto orae plagae caute committendae sunt aut emplastro adhaesivo aut suturis; has anteposuerim, quia, quum scrotum contractionis potestatem habet, emplastrum adhaesivum admovere difficilimum est. Si suturae adhibentur duae tresve plerumque sat erunt, altera supra, altera infra. Expediet plagae superimponere linteolum quovis unguento digestivo illitum; partes quoque melius in contactu manebunt, si pulvinaria utroque plagae latere ponuntur, et totum fascia literae T figuram habente sustentatur. Testis interdum usque adeo mole auctus est ut plures libras pondere aequet: si res ita se habet, patet necesse fore partem scroti elipticam excidere, quae pro magnitudine totius tumoris major minorve erit. Siquando post curationem manu vehemens oriatur inflammatio venae sectio, hirudines, pur-

gantia, tartras antimonii, qui nauseam moveat, lotio Saturnina aliaeque regiminis antiphlogisticae partes conveniunt. Et graves generis nervosi affectus, dolor magnus plagae, abdominis spasmi, jactatio et similia opium adhibendum et cataplasmata emollientia parti imponenda postulant. Tetanus, urinae retentio, convulsiones, vomitus importunus, abdominis tensio et tumor, peritonitis, abscessus altius in funiculi regione orti, delirium, epilepsiae accessiones insanabiles aliaque hujusmodi saepius antiquioribus chirurgis acciderent post castrationem, quia illis mos erat totum funiculum una ligatura includere. Fieri tamen potest ut haec eveniant post curationem manu, uti apud hodiernos chirurgos peractam: quae si incidant, medendi rationem, quae conveniat ineundum est.

Quum jam ea, quae de Testis morbis dicturus eram ad finem aliquomodo perduxi, confitendum est, mihi haud parum solicitudinis fuisse in proposito opere peragendo, neque enim affirmare possum *laborem ip-*

sum voluptati fuisse: et, eo quidem completo, adhuc dubium est, an haec disputatio iis placeat, qui eam perlegere dignentur: habeo profecto plus Stoici animi quam ut id exspectem; bene quoque memini eximiam CICERONIS sententiam in officiis suis, quae tam pulchre depingit humanae mentis vanitatem et pro se ipso ejus gratiam. "Fit "enim nescio, quomodo ut magis in aliis "cernamus quàm in nobismet ipsis, si quid "delinquitur." Bene quoque comperi quantum inter se distent dogmaticus contemplator et empiricus rationalis. Nemo quam verum illud sit nescit "facile omnes cum va-"lemus recta consilia aegrotis damus."

Sententiam meam exposui, et ea, aliqua parte, quae mihi vere utilissima videbantur ex scriptis optimorum auctorum et chirurgorum maxime peritorum collegi: et nunc sat sit poetae verbis uti

"Whoever thinks a faultless piece to see,
Thinks what ne'er was, nor is, nor e'er shall be."

Non amplius demisso ero animo sed spem inibo carpendi cupiditatem iis, quae ratio suadet, temperatum iri, et sensus animi molliores, qui illud docent,

"To err is human, to forgive divine."

acrimoniam alicujus severioris judicis esse lenituros.

FINIS.